



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Ludgardis Virgo. 16. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

quasi in Jordane lepram deposuisset. Hæc attende
& lubentiùs ad lavacrum sanguinis Christi pro-
perabis.

2. Cùm sapiùs peccemus, sapiùs utique ad hoc
Sacramentum accedendum: qui potest homo le-
thalis peccati conscius, vel momento vivere? eo
quippe momento si moriatur, actum est, æternùm
perit. Cùm quotidie multos videamus præreptos
subitanè & improvisâ morte, ut quid animum,
integrâ peccatorum Confessione, ad certum exi-
tum non comparamus? *Igorata valetudinis, iteranda
est medicina.* Tertul.

3. Nunc acriter, & ad mortem usque expiare
debes, quæ confessus es peccata, nisi fortè pati
malueris piaculares flammâs. Semper brevis est
pœnitentia, quæ ab æternis liberat suppliciis. Ah
jucundi labores! quibus acquiritur divina benevo-
lencia, atque inferni ac Purgatorii ignes extin-
guuntur. Dic cum primitiis pœnitentium: *Nunc
maceror & excrucior, ut Deum mihi reconciliem, quem
delinquendo lesi.* Tert.

S. LUDGARDIS VIRGO.

16. Junii.

*Nihil est enim occultum, quod non
manifestetur, nec absconditum,
quæ*

quod non cognoscatur & in pa-
lam veniat. Luc. 2. cap.

Nulla pulchrior Virginitate est virtus,
quæ DEUM etiam hominis facit riva-
lem. Ambierant LUDGARDIS thalamum
complures, nec ignobiles terræ filii, & ex eis
familiaris uni fortè loquebatur, cum ei
sanctior Sponsus Christus pectus suum, & in
pectore Cor saucium ostendit, & extra hoc
nihil deinceps iussit quærere. Inde videlicet,
humana omnia usq; adeò illi iam vilescere,
ut præter Crucifixi nullos amores sciret, præ-
sertim ubi ab ejusdem vulneris neccitate
ebria tota iam ibi habitabat, ubi sanctior
amor degit. Deposuerat Dei MATER apud
LUDGARDEM querelas suas, quibus Filiam
ab Albigenisibus hæreticis iterum in crucem
agi dolebat. Hic ut luctum virgo suum re-
staretur. VII. annorum sibi jejunium indi-
xit, alterumque æquè longum pro peccan-
tium salute adjecit, & subinde Sponsum
irato Patri vidit supplicem, & vulnera velut
clypeum pro orbe perituro objicientem.
Martyrii desiderio tam bulliebat in amante
sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, coc-
lumque idem præmium, quod Martyribus,
sponderit

sponderit. Sacrum Epulum adire inter
 Angelos non semel, quandoque etiam inter
 Mariæ & D. Joannis comitatum visa est.
 Ante obitum oculis orbata, nunquam ta-
 men magis cœlestia, quàm tum vidit. mori-
 enti enim cum Matre & aliis Cœlitibus ob-
 vius sponsus venit: quibus ducibus in cœ-
 los abiens errare etiam cœca non potuit.
Ex Sario & Lippeloo.

M E D I T A T I O
*De triplici impedimento veræ
 confessionis.*

1. **S.** LUDGARDIS ita cor suum volebat unitum
 cum corde Christi, ut mutatione factâ
 cor Christi daretur LUDGARDI & cor LUDGARDIS
 rependeretur Christo. sufficiat tibi cor tuum mun-
 dare Christo, per confessionis sacramentalis expi-
 ationem. scrutare accuratè sinuosas conscientie
 tuæ latebras, bene perpende, quid boni rapiant pec-
 cata, quid accersant mali. Gratiam amisisti, quâ
 nihil pretiosius; tantum tamen damnum non
 doles?

2. Intempestivus pudor sæpius impedit, quò mi-
 nus confiteamur peccata. Dæmon reddit confiten-
 ti, quod abstulerat patranti. Depone præposterum
 hunc pudorem, nisi malis, decretoriâ die Angelis
 & hominibus tua innotescere peccata, quàm ea

nunc

nunc temporis homini soli aperire. Salutaris est
 præsens verecundia; futura verò planè inutilis.
Non pudeat dicere, quod non puduit facere. Bern.

3. Ad eadem semper redis peccata, idem sem-
 per dicis in confessionibus: unde hoc? Ex eo sanè
 quòd leviter proponas futuræ vitæ emendationem,
 scopulosque parùm prospicias, ad quos allidere
 solitus es. Hæc in posterum seriò meditare: pa-
 rùm sollicitus de sermonibus hominum, fuge pe-
 riculosas occasiones; quid enim indignius, quàm
 malle plùs placere hominibus, quàm Deo? *adeone
 existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur?*
 Tertul.

S. AVITUS Conf.

17. Junii.

*Omnia quaecunque petieritis in O-
 ratione, credentes accipietis.*

Matt. c. 21.

Ostendi utique AVITUM DEUS MUNDO
 voluit, cui tantam nascenti lucem cir-
 cumfudit, quantam humani oculi ægrè pa-
 terentur. Ipse tamen latebras quæsi-
 vit. Etianensi Monasterio abditus, magni nomi-
 nis famam adeò non affectans, ut nullo se
 libentiùs, quàm bruti vocabulo compellari
 audiret. Præter spem votùmque ad hono-
 ratiore